

2

MORALIS

INTERPRETATIO ER=
rorum Vlyſſis Homerici.

COMMENTATIO PORPHYRIE
Philosophi de Nympharum antro in XIII.
libro Odyſſeæ Homericæ, multiplici cognitio
ne rerum uariarum instructiſſima.

EX COMMENTARIIS PROCLI
Lycij, Philosophi Platonici in libros Platonis de
Repub. apologiæ quedam pro Homero, &
fabularum aliquot enarrationes.

Interprete Conrado Gesnero
Medico, Tigurino.

Omnia nunc primum nata, & excusa Tiguri
apud Froſchouerum.

Dorſiſ. Vico D. Rodolpho Gualthero
Comend. Gesneri d. d.

tionem antri Nympharum in Ithaca insula, quod Homerus in decimotertio libro Odysseæ suæ describit, à nobis Latine redditam, non eleganti, sed facili dilucidoq; stilo, nisi fallor. Nam cum aliquot loci in Græco exemplari corrupti legantur, non tam ubiq; uerba quàm sensum authoris exprimere conatus sum, qui se conspicuum ubiq; præbet, etsi uerba non omni ex parte respondeant. Est sanè liber uariarum rerum cognatione refertus, tum quod ueterem ethnicorum theologiã attinet, tum quod naturas rerum, quare ad antiquos authores intelligendos non parum proderit. De fabulis autem poëtarum non est quod aliquid apud te dicam: noui enim te pro eruditione tua non aliter quàm doctos omnes iudicare, scilicet ut Plutarchus ait, τὸ πρῶτον ἡμεῖς μυθῶδες οὐκ ἀφιλόσοφον εἶναι. Aristoteles certe lib. 1. primæ philosophiæ, philosophiæ fabulas quodammodo scribit amare, quoniam ex mirabilibus fabula constat. Admiratio autem hominibus et nunc est, et olim fuit occasio philosophandi. Socrates in carcere circa limitem uitæ aliquot Aesopi fabulas carmine reddidit Apollinis instinctu. Aristoteles iam senex relictis philosophiæ disputationibus et cōsutationibus ueterum, ad poësin Homericam se conuertit. Idem Porphyrius fecit, ut Lascaris in epigrammate de utroq; testatur. Sed antiquam poëticen, et fabulosam ueterum theologiã in commentationibus

Procli defendemus. Porro nomen Porphyrij non te
debet offendere: quamuis enim Christianorum hostis
fuerit, Christum tamen oraculis confirmantibus sapi-
entem, pium atq; beatum iudicauit, ut Marsilius Fici-
nus testis est in suis Commentarijs in Plotini librum
contra Gnosticos hæreticos. Quinetiã præceptorem
habuit Plotinum: Plotini uero mentē non abhorruisse
à Christiana religione, coniecturam hinc facere licet,
quod cum Ammonij semper Christiani discipulus fue-
rit, & Origenis semper amicus: conuenisse perhibe-
tur cum Origene simul ac Heremnio, se nunquam ab
instituti Ammonij discessurum, idq; sicut promiserat
seruauisse. Præterea gentiliū deorum cultum alto ani-
mo aliquando contempsisse, Amelio ad hoc exhortan-
te, Porphyrius ipse discipulus eius testatur. Nimirum
hoc quoq; facit ad dei gloriam, quod hostes religionis
nostræ splendidissima Christo nostro testimonia serāt.
Citatur & in hoc libello Numenius usus testimonio
Mosis, quem ipse prophetam nominat, de spiritu dei
super aquas inuecto. Transtuli autem eo libentius hoc
opusculum, quoniam hætenus alium neminem uidi,
qui huius antri allegorias interpretetur. Macrobius
enim de Somnio Scipionis differens, tantum de portis
Solis, Cancro & Capricorno meminit, per quas ani-
mæ ascendant ac descendant. Vale. Tiguri, Anno salu-
tis 1542. Mense Martio.

poëtam, tum poëticen omnem ubiq; damnant absolute. Videtur autem occasionem hæc scribendi Proclus arripuisse ex tertio libro Reipub. in quo Socrates, si qui Homerū ac poëticen in uniuersum, defensuri sint, admissurum se facile, ac libentissime auditurum testatur. Hinc factum opinor ut multi Platonici hunc poëtam certatim euehere laudibus contenderint, & commentarios in ipsum reliquerint, & fabulas explicaerint. Nam & hic sæpe citat Proclus præceptoris sui in Homerum scripta, & Lectorem ad ipsam remittit. Habuit autem præceptorem Syrianum, ut Suidas docet, cui & Athenis successit in Academia, unde Diadochi nomen adiectum opinor. Impius quidem fuit, & secundus à Porphyrio in Christianos scripsit, si quis tamen libros eius $\mu\kappa\tau\epsilon\omega\alpha\kappa\omicron\upsilon\varsigma$ legat, eodem Suida Christiano teste, non caruisse ipsum offlatu diuino iudicabit. Alioquin etiam Platonici philosophorum omnium ad religionem nostram accessisse proximi uidentur, adeo ut & diuinitatis mysteria, & omnia fere cætera Christianorum dogmata in Platone & Platonice uel exprimi, uel adumbrari uideantur. Siue igitur Plato primū in Aegypto huiusmodi mysteria consequutus posteritati reliquerit: siue lectionibus sacris Platonici hæc dogmata hauserint (citant enim Mosis testimonia, & prophetam nuncupant, unde ipsos tum legisse scripta eius, tum approbasse constat) siue diuini

nitus acceperint: siue dæmonum reuelatione, quos si-
bi familiares habuerunt (nam & dæmones uel inuiti
coguntur aliquãdo ueritatem exprimere, ut ille in no-
uo Testamento, qui Christum ante tempus aduenisse
quiritabatur) siue oraculis confirmantibus, qualia ho-
dieq; extant: siue alia quacunq; tandem occasione, li-
cet uix alia dari posse uideatur, certe non reiicienda
prorsus fuerint, sed sana & sobria mente legenda, &
in usum tempestiuum reseruanda. Nihil enim tam est
abiectum, uel absurdum, quod non suo tempore atq;
loco à pijs & sobrijs animis ad gloriam diuinæ maie-
statis usurpari accommodariq; possit. Apparebit sanè
ex hoc opusculo cur olim poetæ theologi dicti sint, et
poësis theologiæ nomen & primæ philosophiæ, etiam
apud ipsos philosophos merita sit: omnes enim hîc de
dijs fabulæ, non iuxta Grammaticorum uulgu historice,
physice aut ethice tractantur, sed theologicis &
metaphysicis rationibus explanantur. Volui autem
ista coniungere cum morali interpretatione Vlyssis
errorũ anonymi authoris, & antro Nympharũ quod
Porphyrius explicauit, ut absolutissima Homeri sapi-
entia, quantum eius homini ethnico cognoscere fas
fuit, tum in diuinis, tum in humanis rebus, quæ ueræ
philosophiæ definitio est, elucesceret. Quantacunq;
igitur hæc est opella paucis diebus à me non quidem
elaborata, haud sine labore tamen è Græco sermone
transfusa